QUÆSTIO MEDICA,

Quodlibetariis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ sextâ Januarii 1710.

M. CLAUDIO BERGER, Doctore, Medico Regis ordinario, è Regiâ Scientiarum Academiâ, Præside.

Utrùm ex Mineralibus & Metallicis Chronicorum Morborum certior Curatio?

I.

OMNES ex uno fonte, liquidorum inspissatione, sivè acuti, sivè Chronici morbi scaturiunt. Liquida quasi vi sibi insitâ concrescunt, cùm ipsæ sint animantium & vegetabilium, quibus vescimur, liquefactæ Gelatinæ, quæ exhalante calore congelantur; motu verò libero, & expedito feruntur, & volvuntur summâ velocitate, dùm solidorum vi & elatere comminuta, contrita & impulsa in tubulos dissolvuntur, salibus eorum & sulphuribus, motu fermentationis, convenientèr evolutis; hinc partes & viscera, à rectè subactis irrigata liquoribus, defunguntur alacritèr officiis, & fruitur animal intaminatâ sanitate, quæ citò labefactatur, aberrantibus, à ratione Mathematicâ Diametri tubulorum liquidorum fermentatione & eorum motu circuitionis; hunc acceptum referunt & æquabili servant tenore à motibus cordis, foventibus cæterorum corporis motibus tonicis solidorum; liquida sensim spissantur prò eorum motu remissionis gradibus; laxantur solida, perverso liquidorum motu; ità ut integra non possit esse sanitas, mutuam nisi solida & liquida sibi præstent operam; utrùm solida motum à liquidis; liquida à solidis accipiant, res est difficultatum plenissima: Quidquid sit, his motibus retardatis, liquida glutinosa fiunt; adauctis solvuntur, & nascuntur morbi, tùm acuti, tùm Chronici, ideoque secundum magìs aut minùs tantùm discriminantur; licèt typo suo & quasi caractere longè & essentialitèr ab invicèm videantur removeri; utraque prosapia ab iisdem ducit exordium natalibus; utrinque concidunt, aut obliterantur fun-

202

ctiones ; motus partium utrinque laboriosus est ; idem ubique Choragium Symptomatum ; quæ, si vehementissima sint, morbus acutus ; si debiliora & diuturniora Chronicus dicitur ; metire gradus spissationis liquidorum, prò remissionis motuum gradibus : Maximè lutulenta sunt in Apoplexiâ, minùs in Hydrope, in Epilepsia ; majus etiàm aut minus periculum est ratione partium, quibus inhærent concreta liquida ; si stagnant in capite, morbum acutissimum & lethalem inferunt ; delata è capite in partes inferiores, eodem inquinata vitio, ex morbo lethali, morbum gignunt in plures annos non raró protrahendum ; Indè suadet ratio in spissationibus liquidorum inesse gradus varietatis in infinitum, ex quibus emergunt morborum omnium varietates : Lac, prò viribus acidorum, quibus permixtum est, tardiùs aut citiùs patitur concretionem ; in serum facescens, varios refert prò variâ acidorum indole sapores ; solo inspissatum nitro aëris, rancedine & acredine aut sapore inficitur alieno, ab eo, quem refert, ubi citò coagulatur ab acido potentiori : Sic liquidis inimico fœtis coagulo statim labascit nativa functionum alacritas, frangitur insita vis solidorum, exoritur morbus acutus, qui varium inducit ingenium, pro varietate fermenti & singulari, eoque variò partium contextu. His continetur morborum acutorum Mechanica ; his, cum levi discrimine, Chronicorum origo ; dum fermentum non potens tacitè admixtum liquidis, pedetentim, motum solidorum retardat, liquida paulatim densata in serum facescunt varii saporis, & acredinis, pro ejusdem fermenti luxuriantis naturâ : Labem & coagulum sensim suscipiunt ex carnibus sale conditis, aut siccatis fumo ; soluta referunt aquæ fortis acredinem, molestos excitant doloris sensus, maculis inficiunt cutem nigricantibus, rodunt dentes & gingivas, & nascitur Scorbutus ; Caustico magis prægnantia sale morbos pariunt pestilentes & atrocissimos ; mitiori saturata præbent originem Podagræ, Rhumatismis aut alterius ægritudinis insultibus.

I I.

ACUTORUM & Chronicorum morborum, Varia, ut plurimùm, sunt symptomata, gravitates, & dolores capitis, stomachi, membrorum omnium ; spiritûs & urinæ difficultas, anxietates præcordiorum, quæ demonstrant sanguinem non ferri motu libero, viasque, aut esse obseratas ; aut imbutas infenso liquidorum visco ; summa sese movendi impotentiâ, quæ vix primùm ab ipso ægrotante percipitur, neque, nisi tractu temporis, invalescente morbo Chronico, fit manifesta : alimenta, aër, quem ducimus, vitia solidorum, otiosa vita, animi perturbationes, & res quæ non naturales vocantur, istius

inſpiſſationis parentes ſunt cauſæ. Enim verò nòn raró prægnantia ſunt alimenta ſalibus & ſulphuribus,texturis tum ſolidorum,tum liquidorum, nullatenùs Analogis ;Paulatìm horum particulæ deflectunt à figuris motui aptioribus ; Sales & ſulphura tardiori elatere aëris excitata, nec , ut anteà , ſoluta ſenſim coaleſcunt ; ſubſtantiis permixta heterogeneis faceſcunt in ſales ſalſos omnis generis & indolis ; & unà cum ſulphuribus craſſam molem & inertem ità conſequuntur , ut fluida penè , quaſi gelu, correpta areſcant : extraneo etiam fermento , velut cænoſo liquore intercepta , vires amittant ſuas , nec poſſint explicare ; exhauſto quoquè Phlegmate , vel copioſo ſudore , vel urinis , vel Pharmaco potentiori, quod ſupereſt lutulentiùs factum impar eſt ſolvendis , eâ ratione, ſalibus, ut hi valeant à ſulphuribus, primùm ab aëre,eas motuum leges ſuſcipere, quæ animali æconomiæ conveniant ; ſic innumeris liquidorum partes inter ſe modis compoſitæ pariunt novas texturas & immenſam Phœnomenum varietatem ; hinc quorumdam morborum pertinacia ; hinc alii facilè cedunt; hinc illorum vehementia; horum tolerabiles impetus : tàm pertinacitèr ergò ad inſpiſſationem contendunt & feruntur liquida, ut, ne labem hanc naturæ tam inimicam contraherent , ſumma cautio in fabricâ corporis humani , à ſupremo Artifice , fuerit adhibita ; indè patentes contextæ fuerunt viæ , in variis partiùm incerniculis , quibus ſucci , aut copiâ aut qualitate, noxii eliminari poſſint è Corpore ; Quod ab inſenſibili tranſpiratione ſupereſt , ſi quiete nimiâ , aut vario partium inter ſe conſortio viſcidius , quàm par eſt , evadat , Machinulis elaboratur , quibus inſtruuntur vel minimi Corporis receſſus , ad trituranda perennitèr liquida , fabricatis ; Arterias intellige , quæ perenni & tonicâ vibratione feruntur , omnes ſanguinis moleculas comprimentes ; muſculos , ex quibus vel aliæ contexuntur partes , vel illis aptantur ; membranas à cerebro in totum corpus diffuſas , quæ tùm Nervos , quos involvunt , tum glandulas , aliaque incernicula , premunt adeò , ut, muſculis vicinis opem ferentibus , & prò inſitâ vi nitentibus , ſecernantur liquida , quæ debent ſecerni ; ſi utilia ſint , aut in partes ſolidas inſiguntur , aut aliis infunduntur liquidis Machinæ conſervationi inſervientibus ; ſi effæta & concordiæ cæterorum repugnantia extruduntur : Brevi idcircò corrueret ingenioſum opus , liquidis in molem denſiorem coeuntibus , ut in gravibus accidit morbis , niſi ſolida ſummâ , quà gaudent , vi , tot obices ſuperarent ; æquivalet cordis robur ponderi 180000. veſicula muſcularis, leviſſimâ ſpiritum & ſanguinis ebullitione, *Borellius.* immani pondere contrà enitente , facilè intumeſcit , atque , ut tumida perſeveret , Arithmeticæ legibus compertum eſt , ſatìs eſſe , ut ſanguis

Bernoulius. & spiritus actione directâ æquivaleant, aut possint sustinere 22900000 partem ponderis obsistentis vesiculæ parietum distractioni, dùm illam conatur ad ovalem figuram aut cylendricam, quantum potest, adducere; liquida ità inspissantur, ut solidorum vim immensam obtundant; solida ità vitiis afficiuntur, ut resistentiam liquidorum non possint superare; hìnc morbi; hìnc machinæ interitus. Verùm omnia inter solida & liquida aër nusquàm per se labem inurit corpori, cùm solus sit potissimùm, qui vim & motum impertiatur machinæ, quoties particulis tetris non inficitur è terrà erumpentibus. Hæ intrà partes liquidorum & tubulorum fibras insertæ amborum motum debilitant, & sunt, aut sales agrestes, vitriolici, aluminosi, aut sulphura crassa, metallica, mercurialia, aut quæ arsenici vim imitantur indomitam; quæ damnosa, Chymicis nisi mitigentur laboribus; nam si spirales his sint implexæ particulis aëris laminæ insitum nequeunt evoluere elaterem, nec liquidis motum communicare, ità ut ejusdem aëris crasi, diversâ ratione, alteratâ, varios, quibus regiones variæ obnoxiæ sunt, morbos generant; sic Phtisis familiaris est Lusitanis & Anglis; Angina Styriæ incolis; Lues venerea Americanis; Mediolanensibus Podagra; Epilepsia Florentinis; Saxonibus, Friscis, Batavis, totique Scaniæ & Norvegiæ, Scorbutus: Verùm, cùm ubique diffusa hæc Miasmata omnibus terræ tractibus incumbunt, pro diversis atrocitatis gradibus & modis, citiùs aut tardiùs, acerbius aut mitiùs afficiunt homines, & tantæ morborum iliadi præbent originem, spiritus irretiendo, molem inspissando sanguineam, viscidos reddendo succos ex alimentis pessimè subactis prodeuntes, solidarum laxando motrices partium fibras; convenientes sanguinis, & omnis generis succorum impediendo & triturationes, & secretiones, subvertendo tandèm solidorum & liquidorum concordiam, à quâ pendet omnium functionum integritas.

III.

Metallis & Mineralibus nihil potentius, ad solvenda liquida nimiùm spissata; hoc præstantissimum absolvunt opus, principiorum beneficio, quibus pollent Metalla & Mineralia: An Sal, Sulphur & Mercurius vera sint mixtorum principia, parùm interest; sufficit, ut ex iis eliciantur resolutione Chymicâ; ut sola sint maximè actuosa, quæ post resolutionem sensus nostros afficiant, ac quæ præsertim, in medendo, humana corpora possint immutare: Salium omnium semina non ineptè, cum helmontio, in aquis reponenda sunt; ubique diffusa, varia fiunt, pro terræ matricum ratione & diametro, pro vario Sulphuris & Phlegmatis connubio; hinc quibusdam in locis, sales reperias speciei

singularis, acidos, salsos, aluminosos, vitriolicos; in aliis sales, indolis diversæ: unicnm tamèn est, in rerum naturâ, salis genus, acidum scilicet, à quo cætera, quæ terra sinu suo recondit, aut dorso sustinet, ducunt exordium; multiplex sal in Chymiâ; sales quos è mixtis ignis educit, vel sunt acidi, vel alkalini; fixi vel volatiles; utrique, si excipiamus acidos, sunt ignis opus, & seu distillatione, seu igne aperto eliciantur, cum sulphuribus remanent conjuncti, eâdem ferè indole, iisdemque gaudentes viribus: è crambe & solano furioso sal idem, artis ope, extrahitur; ex aliis vegetalibus idem sal alkali, aut parùm discrepans; in mineralibus & metallis eadem reconduntur Principia, sed majoris virtutis; sal etenîm in iis est Sulphur, Mercurius, Phlegma, terra; è mineralibus faciliùs hæc extrahuntur principia, difficiliùs è metallis, quorum partes inter se maximè cohærent; vegetabilium principia, utpotè minùs matura, artificio simpliciori, educi solent; mineralia, & metalla rigidioribus, durioribusque conflata particulis non obsequuntur, nisi ignis aut menstruorum potentissimorum viribus, & ferè sempèr indigent laboribus Chymicorum, ut inimica eorum indoles castigetur: hinc norunt in arte spagyricâ versati, sulphura veneris, Antimonii, Arsenici, Mercurii; Oleum Vitrioli, spiritus salis, nitri, aluminis, sublimatum corrosivum ita contemperare, ut hæc, malignitate depositâ, motos humorum fluctus securè componant, partium functiones abolitas aut depravatas restituant, & afflatu benigno sanitatem revocent sæpè sæpiùs deploratam.

IV.

PERTINACIORES sunt, in morbis chronicis, liquidorum inspissationes, ut menstruorum viribus, à quibus solvuntur alimenta, facilè cedant; ut accuratæ victûs rationi, immutationi aëris, naturæ in præceps ruentis conamini, & exquisito selectui ciborum obsequantur; indigent præterea præstantioribus auxiliis, quæ tenaciores dividant succos, aut effœtos renovent; debiliorem partium solidarum restituant elaterem, & perniciosas reserent viscerum incerniculorum obstructiones; tot commoda raró, aut nusquàm assequuntur ægri venæ sectionibus, & auxiliis, quæ animalia & vegetantia subministrant: Venæ sectio, dùm, morbis in acutis, molem imminuit sanguineam ab insolenti fermentatione, nimioque calore inspissatam, & ægrè ferentem in vasa, spiritus æstro percitos coercet, imminentibus aut præsentibus medetur inflammationibus, infensas reprimit fibrarum nervearum irritationes, naturam levat obrutam sub pondere, paratque viam purgantibus humores noxios foràs eliminaturis; verùm, cùm, in chroni-

nicis affectibus, menstrua, quæ vocant, digestiva, aut visco sint nimiùm irretita, aut destituta spiritibus; cùm sanguis eâdem laboret spirituum inopiâ; cum præ crassitie solitas difficultèr peragat circuitiones; cùm partes solidæ à lutulentioribus aut laxentur, aut obstruantur succis, satìs compertum est, venæ sectionem, chronicis affectibus, aut parùm, aut nullatenùs esse profuturam; non majoris erunt emolumenti remedia ex animalibus & vegetabilibus educta; hæc sunt vel purgantia, vel alterandi virtute prædita; purgantia aut mollioribus conflata particulis, ut cassia, manna, rheum, intimos parùm pervadunt corporis recessus, morbificos humores expulsura è corpore; aut rigidioribus salibus fœta, ut acria salia & resinæ, molestas & aliquandò lethales excitant inflammationes in partibus, per quas hæc feruntur purgantia; alterantia, si volatilia sint, ut jusculа viperina, ardentes spiritus, tantam excitant in sanguine & turbam & inflammationem, ut sæpè sæpiùs magìs officiant, quàm prosint ægrotantibus; si maximè sint diluta, ut apozemata & jusculа amara, nisi parcâ manu, & consilio sagaci adhibita sint, nauseam excitant, & subvertunt ciborum appetentiam; si tandèm terrestria sint, ut creta, corallium, cancrorum pulvis; si faciliori dissolvantur negotio, à fermento stomachico, ejusdem convenientèr non infringunt aculeos, nec possunt mederi & aciditati nimiæ, & inspissationi sanguinis; hìnc fit, ut tot auxiliis, chronicis in affectibus, adhibitis incassùm, remedia mineralia & metallica à viris medentibus usurpentur fœlicitèr; Si v. g. præpolleat in ventriculo rodens fermentum, obtundunt absorbentia metallica; si viscerum obstruantur incernicula, concretos solvunt humores chalybeata; si urgeat alvi profluvium à bile effrenatâ, & ab impeditis visceribus, sanant aquæ Forgenses; si perturbetur coctio ciborum à viscidis humoribus hærentibus ventriculo, & congeniti fermenri involventibus aculeos, succurrit emeticum, turbas reverà movens, sed breves; si ferinus humor pulmones irritans tussim excitet, à lacte & diætâ, non mitigatam, aquæ castigant plumberianæ Saponenses pthysicis tam salutiferæ; si sanguis crassior factus ab acido præpollenti ægrè feratur in vasa; si præ spirituum animalium inopiâ solidæ partes laxentur nimìs; si præ nervorum obstructione aut compressione laborent paralysi, ad aquas Vichienses & Borbonienses tanquam ad sacram anchoram confugiat Medicus, necessum est; illæ Vichienses aquæ sale, quo pollent, uberrimo viscidos liquant humores in primis viis reconditos, & impedimenta facientes in visceribus, eosque deturbant; dum sanguini permixtæ strictiorem ejus dividunt compagem, & spiritus aut eolvunt, si sopiti sint, aut generant, partesque roborant solidas;

aquæ Borbonienſes pauciori ſale, ſed uberiori prægnantes ſulphure, eoque volatili, acidius caſtigant fermentum coctionis opificem, debiliores firmant ventriculi fibras, reſerant viſcerum obſtructiones, tenuiorem reddunt ſanguinem, languentes exaltant ſpiritus; ſi deſint, adaugent; deperditum ſuppeditant balſamum; ſolidarum partium reſtituunt elaterem; cerebrum & nervos liberant ab infarctu; urinas & ſudores movent potentiſſimè, ſeù epotæ ſint, ſeù admoveantur extrinſecùs, & inveteratis proſunt ulceribus, ad inſtar ferè aquarum Barregianarum, vel corpus extraneum, ſi quid ſit, expellendo, vel avertendo ſerum impediens coalitum ulceris; innumerabiles tandèm morbos ſanant Thermarum aquæ & metallica medicamina, quos reliquerant intactos omnia vegetabilium & animantium præſidia.

V.

EX mineralibus igitur & metallis chronicorum morborum certior & celerior curatio repetenda erit; enìmverò, licèt vegetabilia, licèt animalium regnum, bene multa, quæ ſpecifica vocantur, mortalibus ſubminiſtrent præſidia, ſeù, ut reficiantur vires, ut evolvantur ſpiritus à maligno fermento velùt congelati, ut ſales volatiles animalium; ſeù ut impura colluvies ſanguini permixta, vel in primis viis, aùt in remotis receſſibus deliteſcens foràs eliminetur ſursùm, aut deorsùm, ut radices ellebori, aſari, manna, ſcammonium, caſſia &c. ſivè ut ſecurè profligetur cauſa dyſenteriæ, ut radix braſilienſis; ſivè tandèm ut inordinatæ coerceantur ſanguinis fermentationes, ut cortex peruvianus; nihilominùs tamèn remedia metallica & mineralia cœteris anteponenda ſunt, in chronicis affectibus; ſi convenientibus caſtigentur laboribus chymicorum, quot venena obſervantur in arte, quæ fiunt pharmaca præſtantiſſimæ virtutis; teſtis mercurius dulcis è ſublimato corroſivo paratus; teſtes oleum & ſpiritus vitrioli, nitri, ſalis, cum ſpiritu vini, longâ digeſtione mitigati; quot ægri, ſævitiâ ſymptomatum, aut marcore, confecti ab iis ſanantur felicitèr; teſtes viſcerum obſtructionibus laborantes; teſtes epileptici, quibus cinnabaris, præparationes martis tàm fuerunt ſalutares: nec pertimeſcat aliquis uſum metallorum & mineralium ſubactorum igne chymico; hæc ut plurimùm, actione blandâ, aùt partes corporis firmant, aut eliminant humores per ductus à naturâ paratos, vel emendant; & reverà quid præſtantius ad luis venereæ curationem, quàm mercurius crudus, aùt multoties ſublimatus; quid conveniens magis ad ſcabiem, & humidum aſthma, quàm ſulphur pluriès lotum & exſiccatum; quid aptius, ad ſiſtendum ſanguinem fugientem è corpore, præmiſſis, ut decet,

208

diætâ & aliis præsidiis, quàm alumen crudum, aut dissolutum in aquâ; quam liquor stypticus, seù epotus, seù admotus parti continui solutionem patienti; quid tandèm experientiæ, quid rationi magis consonum, quàm connubium non infœlix metallorum & mineralium, cum remediis ab animalium & vegetantium familiâ suppeditatis, cujus ope morbi chronici tutiùs, citiùs & jucundiùs persanantur.

Ergò ex Metallicis & Mineralibus Chronicorum Morborum certior Curatio.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Claudius du Cerf.
M. Joannes Baptista Enguehard.
M. Claudius Vergne.
M. Ludovicus Guillot.
M. Joannes Baptista Fermelhuis.
M. Joannes Depiney Peschard.
M. Petrus Daquin.
M. Joannes Cordelle.
M. Antonius de Sainct-Yon, Medicus Regis ordinarius veteranus.

Proponebat Parisiis CAMILLUS FALCONET Lugdunæus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1710.

Typis Viduæ Francisci Muguet, Regis & Facult. Medicinæ Typographi.